





*Disputatio Physica*

DE

COMETIS

Quam

F. D. O. M.

*Præside*

Doctissimo clarissimoque Philo-  
sophiæ in illustri Lugdunensium  
Athenæo Professore

D. ANTONIO TRVTIO A. M.

*ad honoris gradum*

In Philosophiâ consequendum pro ingenij tenuitate  
defendere publicè conabor VI. Calend. Mart.

PETRVS PILIVS.

*Horis locoq; solitis.*



LVGDVNI BATAVORVM,

Ex officina Ioannis Patij. Anno 1598.

ILLVSTRI, GENEROSO, NOBILI,  
ORDINI EQVESTRI HOLLAN-  
DIÆ ET WESTFRISIÆ,

Dominis Patronis & Mæcenatibus meis  
perpetuâ obseruantîâ colendis,

NEC NON

*Pietate, doctrina, & virtute specta-  
tissimis viris*

D. D. IOANNI KVCHLINO  
Collegij Theologici Illust. DD. Ord.  
Holland. & Westfr. Regenti,

D. PETRO BERTIO eiusdem Collegij  
Theologici Subregenti, vigilantissimis, præ-  
ceptoribus meis optimè de  
me meritis

[*Hanc de COMETIS disputationem,  
in debita gratitudinis arrham*

D. D. D.

PETRVS PILIVS B.  
*Respondens*

COMETIS.

THESIS I.



COMETES inter prodigia portentaque à plarisque cenſetur. Nec iniuriâ. In regione enim æthereâ eâdemq; cœleſti mutatione inuehere videtur. huius igitur (quia ſenſui peruius non eſt) ſi cauſſas, effecta & ſignificationes ita expoſuerimus; vt

eorum, quæ fieri poſſunt, limitem non excedamus: quod ſatis ſit, præſtitiffe merito credamur.

II.

De eo diuerſæ priorum fuerunt ſententiæ. Anaxagoræ enim & Democrito cometes erat ſtellarum errantium coappariſio: Pythagoræis, planetæ cuiuſpiam ortus heliacus & à radijs ſolaribus digreſſio. Verum Hippocrates Chiuſ, & huius diſcipulus Æſchylus planetam eum eſſe ſtatuebant, qui caudam comæ, loci ratione aſſumeret; nempe cum ab humore, quem ad ſe trahit, ſolem verſus, aſpectus noſter refrangitur.

Quid veteribus fuerit cometa.

III.

Eorundem  
refutatio.

Sed horum omnium opiniones, vnâ perspicuâ ratione iugulat Philosophus. Quod omnibus planetis supra Horizontem eleuatis, cometes simul cum his interdum conspiciatur.

IV.

Quid co-  
meta.

Quare nos cum Philosopho non athereum, sed elementare corpus cometam asserimus, neque id alieno splendore per refractionem aut reflexionē nitens; sed propriâ & insitâ luce resplendens, ignemque, uti est reuerà, referens.

V.

Quenam  
μετεώρων  
materia.

Cum enim à sole terra incalescit, duplicem halitum siue ἀναθυμίασιν attolli necesse est, alteram vaporosam, humidam nempe & calidam: alteram vero fumidam; calidam nimirū & siccam. Illa ex humido quod in terra & super terram est, excernitur, & aqueis meteoris materiam præbet: hæc ex terræ partibus aridioribus educitur, & igneis meteoris fit materia.

VI.

Quò igneo  
rum meteo-  
rum mate-  
ria abeat.

Hæc enim per mediam aëris regionem subuecta, aut in eam aëris partem, quæ cum elemento ignis in orbem à cœlesti motu rapitur, supremaque aëris regio vocitatur, aut in eius corporis locum, quod proxime orbi

orbi lunari subest (quod etsi ignem appellare consue-  
uimus, ignis tamen non est: sed exhalatio potius calida  
& arida) ibidem nobis exhibet varia ignea meteora,  
prout ipsa discrimen subierit vel multitudinis, vel si-  
tus, vel qualitatis, vel motus ratione.

VII.

Cum igitur igneorum meteororum alia <sup>μετεωρέων</sup>repentina <sup>differentia.</sup> sint, alia diuturniora; in posteriorum genere cometam  
ponimus. Nam breuissimum eius tempus septem die-  
rum obseruarunt, longissimum sex aut septem men-  
sium.

VIII.

Efficiens cometæ causa remotior est terræ inclusus <sup>Efficiens co-</sup>  
calor materiam cremabilem præparans, & solis, astro- <sup>metæ causa</sup>  
rumque vis eam educens, ac in altum subuehens. Pro- <sup>duplex.</sup>  
pinquior id quod ipsum <sup>ὑπέκκαυμα</sup> subuectum accen-  
dit, veluti ipsius agitatio à circulari latione facta, vel  
extrusio & expulsio, vel forte etiam eiusdem propria  
celeriorque latio. Videmus enim candelam aut facem  
recens extinctam celeriore ductu, flammam lumenque  
recipere.

IX.

Cum igitur in exhalationem fumidam densam, pin- <sup>Quomodo</sup>  
guemque vel in locum elementi ignis, vel supremæ <sup>gignatur</sup>  
cometa. <sup>aëris</sup>

aëris regionis subuectam , igneum principium inci-  
derit, non quidem ita multum , vt ilico totam exurat,  
neque etiam ita debile, vt statim exstinguatur, sed va-  
lidius, & tale vt diutius possit permanere, & simul con-  
tingat , vt accedat continenter alia probè temperata  
exhalatio , tum sydus crinitum fit pro eâ figurâ, quam  
adepta fuerit exhalatio.

X.

Vnde no-  
men for-  
siatur.

A variâ igitur flagrantis exhalationis figurâ , spe-  
ciem nomenque cometes accipit. Nam si hæc omni  
ex parte similis fuerit propriè κομήτης dicitur : Sin vero  
oblongior *πρωγωνίας*; quasi crinitum & barbatum dicas.

XI.

Quenam  
ab alijs re-  
censeantur  
species.

Hisce duabus cometarum formis ab Aristotele ex-  
pressis complures alias Plinius *lib. 2. natur. hist. cap. 25.*  
adijcit. Acontix inquit iaculi modo vibrantur, ocyssi-  
mo significatu. Eisdem breviores, ait, & in mucronem  
fastigiatas Xiphias vocauere , quæ sunt omnium palli-  
dissimæ , & quodam gladij nitore, ac sine vllis radijs:  
quos Discus suo nomini similis , colore autè electro,  
raros è margine emittit. Pithetes doliorum cernitur fi-  
gurâ, in concauo fumidæ lucis, Ceratias cornu speciem  
habet. Lampadias ardentes imitatur faces : Hippeus  
equinas iubas celerrimi motus, & in orbem circa se  
euntes.



euntes. Fit & candidus cometes argenteo crine ita refulgens, ut vix contueri liceat, specieque humana Dei effigiem in se ostendens. Sed hæc ad duas Aristotelis species referri posse dicemus, vel Aristoteli non fuisse curæ, ut omnem varietatem cometarum exponeret.

## XII.

Distant & colore cometæ. Quæ differentia magis est aduentitia, & vel à materiæ densitate, raritateque, vel fumorum permixtione pendet, vel etiam diuersi coloris apparent propter medijs, per quod cernuntur, diuersam affectionem, unde fit ut nunc sanguinei, nunc purpurei & subnigri videantur, tum etiam pallidi & candidi.

Quoniam  
fit colore  
præditus.

## XIII.

Duratione quoque differunt. Sed & hæc differentia pendet à materiâ, uti & magnitudinis diuersitas. Differunt etiam anni parte, quâ solent apparere, nam potissimum autumno exoriuntur, quod ea anni parte, maxima terrestrium exhalationum attollatur copia.

Tēpus du-  
rationis ac  
apparitio-  
nis.

## XIV.

Sed diligentius differentia, quæ à loco petitur est obseruanda, quod nimirum interdum inferiore loco consistat concretionis principium, & tum per se cometes apparet. Interdum autem altius sub aliquâ errante

Alius humi-  
lior, alius  
altior.

rante aut inerrante stellâ , quæ tum cometes efficitur; non quidem quod ipsi coma verè adhæreat , sed quod ipsam sequatur, perinde vt corona solem aut lunam.

XV.

Motus eiusdem quifnam.

Vnde & motus diuersitatem licet intelligere. Superiores enim firmamenti motum diurnum videntur imitari & vel stellam aliquam sequi, vel ad stellas firmamenti eandem distantiam retinere. Inferiores autem, vel etiam in orbem, sed peculiari motu ferri videntur, vel ductu pabuli nunc ab aquilone in austrum, vel contra: nunc ab occasu in ortum moueri, vel contra.

XVI.

Quid portendat.

Præfagia ex cometis tanquam admodum incerta relinquimus Astrologis. Sed tamen cum Aristotele asserimus complures simul apparentes, vel etiam vnum insignis magnitudinis, ventorum excessum vel duratione vel magnitudine portendere, aut coniunctam habere. Cui rei fidem facit lapis ille, qui apud Ægopotamos ostenditur, qui vento sublatus, interdiu ex aëre decidit, cum vesperi exstaret cometa. Si igitur tanta sit cometæ magnitudo, aut frequentia, vt totius anni squalor, nimiaq; sequatur siccitas, vnde sterilitas, hanc tum ex cometâ, & quæ hanc sequuntur, præfagiri posse concedimus.

Atta-

Attamen cometam semper mali esse ominus cum Plinio pernegamus. Quin potius cometarum caterorumque meteororum igneorum finem dicimus, ut à putridis, venenosisque exhalationibus hominum habitatio expurgetur, hisce ab eorum sedibus abductis & exustis.

Quisnam  
eius finis.

### COROLLARIUM.

Cometam nec causam, nec signum certum bellorum, excidij urbium ac gentium, interitus regum & magnatum, mutationis religionum affirmamus: multo minus earundem calamitatum effectum.

### QVÆDAM ΠΑΡΕΡΓΑ.

#### ETHICVM.

Eum dicendum fortem negamus, qui sibi ipsi violentas infert manus, alicuius miseriam euitandæ gratiâ, sed potius ignauum.

#### SPHÆRICVM.

Fieri lunæ eclipsin ex interpositione terræ  
inter

inter Lunam & Solem diametrali affirmamus.

LOGICVM.

Doctrinam de elenchis sophisticis exterminandam ex Logicâ inficiamur-

T. Θ. Δ.

---

AD

PETRV M PILIV M

DE

Cometis disputaturum.

**O** *fœlix, ter & amplius*  
*Fœlix, perpetuis digne & honoribus*  
*Quisquis MENALIO Cubo*  
*Fundavit studium, & non DVBIÆ DEÆ*  
*Commisit globulo sacra*  
*PATRIS CASTALIDVM dona volubili.*  
*Nam cuicumque Scientiæ*  
*Substernit basin, hæc intrepidè manet*  
*Vllis cedere nescia*  
*Telis implicitis, quæ iacit irritè*

*Fallax*

*Fallax Turba Sophistica.*

*Cum contra leuius puluere sordido  
Fundamenta ruant, quibus  
Substat Sphæra, tepens quò ZEPHYRVS vocat,  
Aut mollis iubet AFRICVS.*

*Sed tu (MERCVRIVS cui stabili dedit  
Plantam figere in aggere)*

*Quantò es nunc alijs PETRE beatior!  
Quod non condideris rotâ*

*FORTVNÆ nimium vertibili, diu  
Lotas GORGONEIS aquis*

*Gemmas, AONIIS grata monilia.  
Quapropter TRVTIVS, SCHOLÆ  
Lumen BATAVICÆ, corculum APOLLINIS,*

*PILI libera Pilea,  
Nocturnis tibi compartâ laboribus,  
Nescit, quæ capiti tuo*

*Imponet, reliquo tempore LITERIS  
SACRIS vt melius vaces*

*Adiutus SOPHIA subsidiariâ.  
Nec non TESPHIADVM DEA  
Adfert Purpureas ecce coronulas,*

*Quas inducere consecrat  
PILI piligeris temporibus tuis.*

E. I. VERHOFFIVS.

E. I. VERHOEFF



